

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1849

Auteur(s) : Alexandre III [pape]

Bénéficiaire(s) : Gervais, Muzy, Notre-Dame de L'Estrée (abbé)

Genre d'acte : bulle

Authenticité : non suspect

Datation : 1164, 17 avril

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Le pape Alexandre III reçoit l'abbaye Notre-Dame de L'Estrée sous sa protection et établit les règles pour les moines.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Delisle Léopold, Passy Louis, *Mémoires et notes de M. Auguste Le Prévost pour servir à l'histoire du département de l'Eure*, Évreux, Hérissey, 1862-1869, 3 vol., t. 2, p. 430 (extrait).
- b. Piolin Paul, Sainte-marthe Denis de, *Gallia Christiana in provincias ecclesiasticas distributa*, t. XI, Paris, Palmé, 1874, *Instrumenta ecclesiae Ebroicensis*, n° IX, col. 136-137.

Texte établi d'après b

Alexander episcopus, servus servorum Dei, Gervasio abbati monasterii S. Mariæ de Strata ejusque fratribus, tam præsentibus quam futuris, religiosam vitam professis, in perpetuum. Cum omnibus ecclesiasticis personis debitores ex injuncto nobis officio existamus, illis tamen propensioris caritatis studio nos convenit imminere, quos in veræ religionis habitu omnipotenti Domino militare cognoscimus. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestri petitionibus clementer annuimus, et præfatam sanctæ Mariæ ecclesiam in qua divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona impræsentiarum juste et canonice possidetis, aut in futurum concessionem pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis Deo propitio poteritis adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant ; in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: Terram de Stratis, terram de Bello-villari, terram de tramite Ver, Grande-pratum, alias terras et prata quæ ex utraque parte fluminis Arvæ habetis, unum piscatorem in eodem flumine per dominum castri de Musi, grangiam de Faiel cum omnibus appenditiis suis, grangiam de Mera-villa cum omnibus appenditiis suis, grangiam de Champeillum cum pertinentiis suis, et terra de Boscochin, et quæcumque possidetis in nemore Crotensi, grangiam de Chalet. Prohibemus autem ut nulli fratrum vestrorum, post factam in eodem loco possessionem aliqua levitate sine prioris vel abbatis sui licentia, fas sit de claustro discedere ; discedentem vero absque communium literarum cautione nullus audeat retinere. Paci quoque et tranquillitatí vestra paterna sollicitudine providentes, auctoritate apostolica prohibemus, ut infra clausuras locorum seu grangias vestras, nullus violentiam, vel rapinam sive furtum committere, vel combustionem facere, seu hominem capere vel interficere audeat. Sane laborum vestrorum quos propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum nullus a vobis decimas exigere præsumat. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, minuere vel retinere, seu quibuslibet molestiis fatigare, sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate et diocesanorum episcoporum

canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, si secundo tertiove commonita, reatum suum congrua satisfactione non correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine Dei et Domini nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi quatinus et hic fructum bonæ actionis percipient, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant, amen. Ego Alexander catholicæ ecclesiæ episcopus. † Ego Hubaldus presbyter cardinalis titulo sanctæ Crucis in Jerusalem. † Ego Johannes presbyter cardinalis titulo sanctæ Anastasiæ. † Ego Albertus presbyter cardinalis tit. sancti Laurentii in Luc. † Ego Guil. titulo sancti Petri ad Vincula presbyter cardinalis. † Ego Bernardus Portuensis et S. Rufinæ episcopus. † Ego Gualterius Albanensis episcopus. † Ego Jacinthus diaconus cardinalis S. Mariæ in Cosmedin. † Ego Oddo diaconus cardinalis sancti Nicolai in Carcere. Datum Senonis per manum sanctæ Romanæ ecclesiæ subdiac. et notarii, XV kalend. Maii, inductione XII, Incarnat. Dominicæ anno M. CLXIII, pontificatus vero D. Alexandri papæ III, anno quinto.